



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VI. Insensibilitas non est patientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

§ BONA VOLUNTAS

incederet. Tanta sunt imitandorum Regum studia. Moris jam olim fuit ab orbe condito, ut viri boni adversis exercerentur: nam, vel teste generosissimâ viduâ, *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles, Judith cap. 8.* At longè latiùs mos ille inolevit, ex quo Rex ipse noster per omnem vitam vili habitu indutus, *proposito* quamvis sibi gaudio, *sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* Ad ejus formam Christianis patiendum est, si tamen Christum induerunt, & Christo in carne passo, eâdem cogitatione armari volunt divinæ voluntatis. Ita Apostoli monuere, & nos hortabimur: non sic tamen, ut inter patiendum adimere velimus Christiano, aut naturæ sensum, aut cogitationum ad naturam aptarum solatia.

VI. *Insensibilitas non est patientia.* Celebratissimum juxta & nobilissimum ante Christum sustinendi exemplar Jobus, quod prisca tempora spectarunt, omnia mirantur: sic alias ex aliis calamitates irruentes, ac novissimè liberorum omnium interitum, exceptit,

OPTIMÆ CONSENTIENS. 9

excepit, ut vulnera sentiret pariter &
 ferret. Nam, ut rectè monet Gregorius
 lib. 2. *Moralium cap. 10. Non est pondus
 virtutis, insensibilitas cordis: contra verò,
 qui dolorem verberum ultra quàm necesse est
 sentit, virtutis custodiam deserit.* Quem-
 admodùm non satis sana sunt membra,
 quæ sub ictibus aut stupent, aut nimis
 dolent. *Beatus itaque Iob vera Philosophiæ
 regulam tenuit: scissis enim vestimentis,
 & tonso capite, quod gentibus comam
 nutrientibus lugendi solemne erat, cor-
 ruens in terram adoravit. Nec omninò
 ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibili-
 tate contemneret: neque omninò motus est,
 ne nimis dolendo peccaret.... Ut dilectionem
 proximo exsolveret, impendit filius luctum:
 ne dilectionem DEI desereret, explevit inter
 gemitus orationem. Naturæ lacrymas &
 mœrorem dedit, ne hominem exuisse vi-
 deretur: DEO submissionem ac pa-
 tientiam pro malis inflictis reddidit, ut
 se bonæ voluntatis hominem esse testa-
 retur.*